

3. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura—Decree of the Congresso—January 21, 2015.

Prot. n. 48760/14 CA

Suppressionis paroeciae Y in urbe

v.d. "H-K" et status ecclesiae

(D.na W et alii—Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Die 29 maii 2013 Exc.mus Archiepiscopus H, audito die 15 martii 2013 consilio presbyterali, decretum tulit suppressionis paroeciarum territorialium Y et C necnon paroeciae personalis D per unionem exstinctivam cum paroecia territoriali M in urbe v.d. H sita, statuens simul decretum effectum habiturum esse a die 1 iulii 2013. Ecclesiae autem Y, C et D, seu ecclesiae paroeciarum suppressarum, «will remain open as a worship site for M Parish».

Quo decreto die 2 iunii 2013 intimato, d.na W, paroeciana paroeciae Y, die 11 iunii 2013 remonstrationem coram Exc.mo Archiepiscopo exhibuit atque, instantia die 24 iunii 2013 reiecta, recursum hierarchicum apud Congregationem pro Clericis die 2 iulii e.a., nunc una cum aliis paroecianis, interposuit. Quae Congregatio, auditis Exc.mo Archiepiscopo et Cl.mis partis recurrentis Advocatis, decreto diei 19 novembris 2013

reiecit recursum utpote fundamento canonico in iure et in facto carentem. Quam adversus decisionem d.na W et alii die 9 ianuarii 2014 provocaverunt ad hoc Supremum Tribunal, motivis recursus expositis. Exc.mus vero H.S.T. Secretarius decreto diei 25 martii 2014 recursum in limine reiecit ob evidentem defectum cuiusvis fundamenti quoad suppressionem paroeciae Y necnon ob manifestum praesuppositi defectum relate ad mutationem status ecclesiae Y. Quam dein contra decisionem, intimatam die 4 aprilis 2014, pars recurrrens recursum ad Em.mum Praefectum huius Supremi Tribunalis die 10 aprilis 2014 instituit.

Re tandem rite discussa inter Cl.mos partis recurrentis Advocatos, Cl.mam Auctoritatis Ecclesiasticae Patronam et Rev.mum Promotorem Iustitiae Substitutum,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

— tamquam obiectum recursus ad H.S.T. Congressum tantum decretum Exc.mi Secretarii diei 25 martii 2014 considerandum est; quam ob rem asserta obse-ratio de facto ecclesiae Y non est obiectum recursus;

— haec Signatura Apostolica solummodo videre potest de asserta illegitimitate actus impugnati, praetermissa prorsus quaestione de eius opportunitate;

Pro comperto habito quod:

- decretum ab Exc.mo Archiepiscopo H die 29 maii 2013 latum est singulare; agitur enim de nova ordinatione paroeciarum singillatim indicatarum in loco singulari (cf. can. 48);
- suppressa paroecia, eius ecclesia per se cessat esse paroecialis, sed utique manet ecclesia;
- paroeciis vero unitis, ad discretionem Episcopi dioecesani pertinet ecclesiam paroecialem seligere, exclusa vero arbitrarierate;

Perspecto quod in casu agitur de unione quattuor paroeciarum, quodque paroecia quae problematibus laborat uniri potest cum paroecia in bona condicione, nam unio communitatum paroecialium roborare potest fidem et vitam communitatum debiliorum;

Cum nullum par adducatur argumentum ad rationes motivas in decreto Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 25 martii 2014 submovendas, ad rationes motivas in illo decreto expositas remittitur;

Animadverso, ceterum, quoad ecclesiam Y, quod:

- in decreto Exc.mi Archiepiscopi diei 29 maii 2013 declaratur eam ad cultum divinum apertam remanere;
- haec proinde ecclesia in usum profanum non est reducta; immo in usu sacro manet subductu Rev.di Parochi paroeciae territorialis M, qui providere debet non tantum munditiae et decori ecclesiae (cf. cann. 1220 et 562), sed etiam, tamquam administrator bonorum (cann. 532 et 1279, § 1), aedificium sacrum conservandum et tuendum aptis mediis curare tenetur (can. 1284, § 2, n. 1), sub vigilantia Episcopi dioecesani (can. 1276);

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Vi art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Praefecto die 21 ianuarii 2015 habito,

decrevit:

Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii, quo die 25 martii 2014 in limine recursus reiciebatur ob evidentem defectum cuiusvis fundamenti quoad suppressionem paroeciae Y necnon ob manifestum praesuppositi defectum relate ad mutationem status ecclesiae Y.

Pro expensis processualibus retinetur cautio iam in arca huius Supremi Tribunalis deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 21 ianuarii 2015.

✠ DOMINICUS MAMBERTI
Praefectus

✠ FRANCISCUS DANEELS, o. praem.
Secretarius